



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XX. Markgraf Ludwig vereignet Hebungen aus Rotzis und Wolterdorf  
einem Altare in der Nicolaikirche zu Berlin, am 4. Januar 1355.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

XX. Markgraf Ludwig verzeiget Gebungen aus Rosis und Woltersdorf einem Altare in der Nicolairche zu Berlin, am 4. Januar 1355.

Nouerint uniuersi tenorem presentium inspecturi, quod Nos Ludouicus Romanus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, sacri Rom. imperii Archicamerarius, Comes Palatinus Rheni et Bauarie Dux, ob honorem et reuerentiam omnipotentis Dei gloriose genitricis sue virginis Marie et omnium sanctorum, nec non ob illustrium principum Marchionum Brandenburgensium predecessorum nostrorum diue recordationis, nostri, heredum et successorum nostrorum, et specialiter ob discreti viri quondam Petri institoris, cuius in Berlyn, et Gerdrudis, uxoris sue, defunctorum animarum memoriam sempiternam, dedimus, damus et solempni donatione iusto proprietatis tytulo donamus octo frusta reddituum annuorum, quorum quinque frusta cum dimidio frusto in villa Rodeses districtus Teltowe sunt sita, videlicet super sex mansos, quorum mansorum dictus Dam quatuor mansos colit. Qui mansi soluunt annuatim duos choros siliginis, quadraginta modios auene, octo modios ordei, et unum modium pisorum in pactu, et nouem solidos denariorum Brandenb. minus quatuor denariis in censu, unum pullum fumalem, et decimam de eisdem mansis cum iudicio ad dictam curiam pertinente. Et dictus Hug duos mansos colit, qui mansi soluunt annuatim I. chorum siliginis, XX. modios auene, IV. modios ordei, et dimidium modium pisorum in pactu, IV. solidos et IV. denarios in censu. In villa Wolterstorff duo frusta et VIII. solidos denariorum Brand. super IV. mansos, quorum mansorum dictus Thomas duos mansos colit, qui dant in pactu unum frustum et quatuor solidos denariorum in censu et residuos duos mansos dictus Tempelhofinne colit, qui mansi unum frustum dant in pactu, et quatuor solidos denariorum in censu, et decimam de eisdem mansis, ad altare gloriose genitricis virginis Marie et trium Magorum de nouo locandum, fundandum et dedicandum in ecclesia parochiali S. Nicolai ciuitatis nostre Berlyn perpetuis temporibus pacifice et quiete sine impedimento quolibet pertinenda. Renunciantes solempniter omni iuri actioni et impetitioni, quod vel que nobis heredibus et successoribus nostris in premissis octo frustis competunt, seu competere poterunt quomodolibet in futurum. Dantesque discreto viro Hennyngho institori, dicte ciuitatis nostre ciui, filio predicti Petri, qui predictos redditus pie deuotionis affectu motus suis pecuniis comparauit, et ipsius heredibus jus presentandi, seu jus patronatus dicti altaris, ita quod ad ipsum altare, dum primum fundatum fuerit, et posthec immediate cum vacauerit, quotiescunque oportunum fuerit, personam ydoneam debeat et poterit presentare. Post decessum veri dicti Hennynghi et suorum heredum predictorum ad discretos viros Consules ciuitatis nostre Berlyn jus patronatus dicti altaris deuolui debeat, et ad eos perpetue pertinere. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum presentibus strenuis viris Friderico de Lochen, Johanne de Wanzleben, curie nostre magistro, Petro de Bredowe, Hermannno de Wolkowe, Marquardo Loterpecken militibus et Dietherico Mornero preposito Bernouensi cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Berlyn, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. quinto, dominica proxima post circumcissionem ejusdem.

In dorso steht: Ad altare trium regum in ecclesia S. Nicolai.

Original im Gesh. Staats-Archive. — Gerckens Cod. IV, 386—388.